

Interea omnem confidentiam in Vos Statusque et Ordines Regni Croatiae ponimus in hac publica necessitate praedecessorum Vestrorum vestigijs insistendo, minime defuturos, quin tantisper, donec plenarius succursus simul fuerit, ope et assistentia legionum ibidem assistentium, Metternich, Aspermont, Saurau et supplementorum Sereni atque Strasoldo, hostium insultus, excursiones et pagorum incinerationes repressuros, illasque Provincias ab ulteriori ruina protecturos, etiam hostium ditiones invadendo, illasque damnificando, cum sufficiente tamen cautela et servato receptu securo; Tandem Vobis ulterius notificabitur, qua via, ratione et modo, succursus Viennae obsessae quoque ex parte Vestra promovere et adjuvare poteritis.

Inaudimus etiam Comitem Batthiani defecisse; et cum Leogradium non parum ad Insulae defensionem conferat, illud praesidium Vestrae directioni committimus, simulque Literas obedientiales ex Consilio Nostro Bellico emanatas hisce includimus; ratione religionis vero quoad illum locum pro tempore paulisper connivere poteritis.

Interea Grecium pro Commendante Militiae Nostrae expeditivimus Campi Mareschalli locumtenentem Comitem Carolum de Strasoldo, qui mutua correspondentia mediante negotia militaria et Patriae defensionem sedulo promovere studebit.

Recognoscemus Suo tempore hanc Vestram Devotionis et fidelitatis contestationem singularibus Privilegijs et remunerationibus erga Vos Statusque et Ordines Regni, quos omnes et singulos interea Imperiali Regiaque gratia Nostra benigne complectimur. Dabantur Passauj die vigesima sexta Mensis Julij Anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo tertio, Regnorum Nostrorum Romani vigesimo quinto, Hungarici vigesimo nono, Bohemici vero vigesimo septimo.

Leopoldus m. p.

Hermanus Marchio Badensis m. p.

Ad mandatum Sacratissimae Caesareae Majestatis proprium:

Christophorus Dorsch m. p.

Joannes Adamus Wöber m. p.

A tergo:

Spectabili ac Magnifico Comiti Nicolao Erdeödy de Monyorokerek, Montis Claudij et Comitatus Varasdiensis perpetuo Comiti, Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Bano, Camerario et Consiliario Nostro, Fideli Nobis Dilecto.

Nota Bani. Dominus Jellachich qua Ablegatus tempore modernae Revolutionis Passauio a Sua Majestate Sacratissima die 5. Augusti ad Castra Czuin postitta (sic) Mandatum hocce apportavit 1683.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1683 Nr. 20.